

*Regio unde dicta**Situs.**Soli fertilitas.**Imperium majorem.**Vrbs & Opida.*

HACTENVS Lombardiam perlustravimus : ſequuntur nunc *Brixienſis Comitatus & Mediolanenſis Ducatus* explicandi. Nomen priori a civitate nobili *Brixia*. Partem eius tractus occupat quem olim *Cenomani* tenuere. Paterque *Territorum Brixienſe* in longitudinem mill. c a *Limone Benaci Lacus* vico, ad *Vrceanum Opidum*. Latitudo eſt mill. l a *Moſo* uſque ad *Dialengem*: ſitusque eſt inter *Benacum, Sebinumque Lacus*. Ager uberrimus *Pritici*, reliquorumque *Frumenti generum*, item *Vini, Oleique* fertilis, neque carens *Ferri Aſiſque* fecunditate. Habet & *Aurum, Argentum, Alumem, Marmor Porphyreticum*, & aliud ex *atro & viridi variegatum*, quod *Serpentium* vocant, *Ophiten* *Plin.* alioſque *Lapides* precio nobiles: *Marchaſitam* etiam, quem *Pyritem* vocarunt *Veteres*: Abundatque omnibus quæ ad vitæ neceſſitatem cultumque expetuntur. *Brixia* fidem *Populi Rom.* perpetuo coluiſſe legitur: præſertim *Bello Punico* poſt *cladem ad Trebiam annem* ab *Hannibale* inlatam. *Colonia* deducta eſt cum reliquis *Trans-Padanis* ab *Cn. Pompeio Strabone*, anno *101. xlv*, & poſtea cum aliis ab *C. Cæſare* *Dictatore* *Civitatis jure* donata. *Deinceps in Imperatorem* fuit poteſtate, quâdiu ſalua ſtetit ſua *Romano Nomini* *majeſtas*. Poſt ab *Radagiſo Gothorum Rege* incendio vaſtata, anno *402. xii*: hinc ab *Artila Hunnorum Principe* ſubverſa ſed reſecta anno *452. lvi* imperante *Martiano*: mox ab *Langbardis* poſſeſſa uſque ad captum ab *Carolo Magno* *Deſiderum*: quo exſtincto, ſucceſſit *Francorum Imperium*. Inde ab *Orhone Saxone Cæſare* libera *Imperii Romani Civitas* eſt facta, anno *806. xxxvi*: mox ab *Henrico vi* direpta, mutis nudata, ſuiſque ſpoliata *Privilegiis*: ab *Scaligeris, Veronæ Ducibus*, opera *Guelforum* eſt capta. His ſucceſſerunt *Vice-comites, Medioloni Principes*: a quibus ſæpe vexata ad *Venetos* defecit: quibus ab *Gallis* ruſum adempta, paullo poſt iis eſt reſtituta. *Brexia* *Strab.* & *Ptol.* hodie *Breſcia*. De huius *Vrbis* origine varia traduntur, ſed parum explorata. Aliis certiora forte apud *Livium*, quem multi ſequuntur. Notat ab *Cenomaniſ* conditam: cum *Elitovio & Beloveſo Ducibus* ex *Galliis*, per *Taurinos & Aples Iulias* in *Italiam* tranſgreſſis. Hinc *Cenomanoſum* genti tribuitur etiam a *Plin.* & *Ptolemæo*, quin & *Livius* lib. *xxxii* *Brixiam Cenomanorum* ſignat caput *Civitas* eſt pervetuſta, dives, populofa, ampla, validis munita muris, *Arce* ſuperbiens *inexpugnabili*, pulcra edificiis cum publicis tum privatis, *Eriam* annis perlabitur *Garcia* quem aliquæ *Melam* vocant. *Castrum* habet munitiſſimum è verice *Vrbem* deſpiciens: & egregio firmatum ab *Venetis* præſidio: *Templa* magnifica: *Monasteria* ſtupenda: *Hospitale* pulchrum, In *Palatio Capitanei* hæc leguntur:

Hic locus odit, amat, punit, conſervat, honorat:

Nequitiam pacem, crimina, jura, Probos.

Templum & Episcopi Palatium,

quin tota *Civitas*, ejuſque *Territorium*, omnia inquam, paſſim leſtiſſimis *Marmorum Inſcriptionibus, Statuis, Statuarum titulis & elogiis, variorumq; Epitaphiis* ſunt plena. *Incolæ* locupletes, lauti, nobiles, ſolertis ingenii,

Opibus